



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De  
Imitatione Christi Libri Quatuor**

**Thomas <von Kempen>**

**Augustæ Vindel., 1772**

Caput III. Quod utile sit sæpe communicare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](#)

334 *De Imitatione Christi*

Christus primum in uterum Virginis descendens, homo factus esset; aut in cruce pendens pro salute hominum pateretur, & moreretur.

C A P U T III.

*Quod utile sit saepe communicare.*

V O X D I S C I P U L I .

I. **E**cce! ego ad te venio Domine, ut bene mihi sit ex munere tuo, & lætificer in convivio sancto tuo, quod parasti in dulcedine tua pauperi Deus.

Ecce! in te est totum, quod desiderare possum & debedo; tu salus mea & redemptio, spes, fortitudo, decus & gloria.

*Lætifica ergo hodie animam servitui, quoniam ad te Domine Jesu animam levavi.*

Desidero te nunc devote ac reverenter suscipere; cupio te in domum meam introducere, quatenus cum Zachæo merear a te benedici, ac inter filios Abrahæ computari.

An'



Anima mea Corpus tuum concupiscit, cor meum tecum uniri desiderat.

2. Trade te mihi, & sufficit; Nam præter te nulla consolatio valet.

Sine te esse nequeo; & sine visitatione tua vivere non valeo.

Ideoque oportet me frequenter ad te accedere, & in remedium salutis meæ recipere: ne forte deficiam in via, si fuero cælesti fraudatus alimoniam.

Sic enim tu misericordissime Jesu, prædicans populis, & varios curans languores, aliquando dixisti: *Nolo eos jejunos dimittere in domum suam, ne deficiant in via.*

Age igitur hoc mecum modo, qui te pro fidelium consolatione in Sacramento reliquisti.

Tu es enim suavis refectio animæ: & qui te digne manducaverit, particeps & hæres erit æternæ gloriæ.

T 6                    Neces-

336 *De Imitatione Christi*

Necessarium quidem mihi est, qui tam s<sup>e</sup>pe labor, & pecco, tam cito torpesco & deficio; ut per frequentes orationes & confessiones, ad sacram Corporis tui perceptionem, me renovem, mundem, & accendam; ne forte diutius abstinendo, a sancto proposito desluam.

3. Proni enim sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua; & nisi succurrat Divina medicina, labitur homo mox ad pejora.

Retrahit ergo sancta Communio a malo, & confortat in bono.

Si enim modo tam s<sup>e</sup>pe negligens sum & tepidus, quando communico aut celebro; quid fieret, si medelam non sumerem, & tam grande juvmen non quærerem?

Et licet omni die non sim aptus, nec ad celebrandum bene dispositus; dabo tamen operam, congruis temporibus Divina percipere mysteria, ac tantæ gratiæ participem me exhibere.

Nam

Nam hæc est una principalis fidelis animæ consolatio, quamdiu peregrinatur a te in mortali corpore, ut sit sæpius memor Dei sui, & dilectum suum devota suscipiat mente.

4. O mira circa nos tuæ pietatis dignatio, quod tu Domine Deus, creator & vivificator omnium spirituum, ad pauperculam digneris venire animam, & cum tota Divinitate tua ac humanitate, ejus impinguare esu-riem.

O felix mens, & beata anima, quæ te Dominum Deum suum meretur devote suscipere, & in tua susceptione spirituali gaudio repleri!

O quam magnum suscepit Dominum, quam dilectum inducit hospitem, quam jucundum recipit socium, quam fidelem acceptat amicum, quam speciosum & nobilem amplectitur sponsum præ omnibus dilectis, & super omnia desiderabilia amandum!

Sileant a facie tua (dulcissime dilekte mi) cœlum & terra, & om-

T 7 nis

est, qui  
tam cito  
frequen-  
tes, ad  
tionem,  
z accen-  
rinendo,  
s homi-  
tia sua;  
edicina;  
mmunio  
o.  
gligens  
munico  
nedelam  
te juva-  
aptus,  
positus;  
is tem-  
yfteria;  
me ex-  
Nam

338 *De Imitatione Christi*

nis ornatus eorum: quoniam quid  
quid laudis habent ac decoris, ex  
dignatione tuæ est largitatis, nec  
ad decorem tui pervenient nominis,  
cujus sapientiæ non est numerus.

C A P U T IV.

*Quod multa bona præstantur deo  
communicantibus.*

V O X D I S C I P U L I .

I. **D**omine Deus meus, præveni  
servum tuum in benedictio-  
nibus dulcedinis tuæ, ut ad tuum  
magnificum Sacramentum digne ac  
devote merear accedere.

Excita cor meum in te, & a gra-  
vi torpore exue me. Visita me in  
salutari tuo ad gustandum in spiri-  
tu suavitatem tuam, quæ in hoc Sr-  
cramento, tamquam in fonte, plu-  
narie latet.

Illumina quoque oculos meos, ad  
intuendum tantum mysterium: ad  
credendum illud indubitata fide me  
robora.

E R